



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentarii Tres in Universam Aristotelis Philosophiam

Commentarius Secundus In Octo Libros Physicorum Aristotelis

Crespin, François

Bruxellæ, 1652

Dubium I. An & quæ existentia causæ requiratur ad causandum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95369)

DVBIVM III.

Quis sit ordo, etiam dignitatis, inter causas.

Antè Resolutionem

xxxI. Suppono ordinem inter causas esse duplicem, unum intentionis, alium executionis.

xxxII. Ordo intentionis est ordo causarum, prout sunt in intentione operantis; sic æger 1º vult sanitatem, 2º potionem præscriptam, 3º medicum; executionis verò est ordo causarum, prout sunt à parte rei extra intentionem operantis; sic æger 1º vocat medicum, 2º sumit potionem præscriptam, 3º recuperat sanitatem; ubi vides sanitatem, quæ fuit prima in intentione, esse postremam in executione, juxta hoc axioma, *Quæ sunt prima in intentione, sunt postrema in executione.* Hoc supposito, sit

RESOLUTIO I.

xxxIII. **D**ico 1º, inter causas hic est ordo intentionis: 1º intenditur causa finalis, sive compositum: 2º forma, utpote nobilior pars compositi: 3º materia, utpote altera pars compositi: 4º causa efficiens, quæ illas conjungat & efficiat.

DISPUTATIO TERTIA

De Conditionibus ad causandum requisitis.

DVBIVM I.

An & quæ existentia causa requiratur ad causandum.

Antè Resolutionem

I. Suppono 1º. existentiam esse duplicem, unam intentionalem, sive in mente concipientis; aliam realem, sive à parte rei extra mentem concipientis; quæ realis, est etiam duplex, una causæ in se & virtute suâ simul; alia in virtute sua tantum, ut gallinæ mortuæ in ovo suo.

II. Suppono 2º. causæ existentiam in se non requiri ad causandum effectum; sed sufficere existentiam illius in virtute sua; nam ex semine planta, ex ovo pullus educitur absente causâ, à qua decisa sunt. His suppositis, sit

RESOLUTIO I.

III. **D**ico 1º. ad causandum finaliter requiritur existentia intentionalis causæ finalis, non tamen realis.

IV. Probatur 1ª Pars; quia causa finalis causat movendo, excitando, &c. causam efficientem; sed movere non potest nisi sit in mente mobilis; unde sit quoddam vocetur causa intentionalis, ergo, &c.

V. Probatur 2ª Pars; quia causa finalis non causat, quia est realiter, sed ut sit realiter: unde æger ambulat ad sanitatem consequendam, quæ realiter & à parte rei non est, ergo, &c.

RESOLUTIO II.

VI. **D**ico 2º. ad causandum materialiter requiritur existentia realis causæ materialis. Ita omnes Philosophi; quos legi.

RESOLUTIO II.

xxxIV. **D**ico 2º, inter causas hic est ordo executionis: 1º ponitur efficiens, quæ basim vel materiam efficienter producat: 2º basis vel materia, quæ formam producat materialiter: 3º forma tamquam effectus causæ efficientis & materiæ, saltem in materialibus: 4º compositum, quod est causa finalis & movens ad sui executionem; ut causa finalis tamen non est ultimum in executione, ut patet, quia ut causa finalis non exequitur, sed ut compositum ex materia, forma & unione.

RESOLUTIO III.

xxxv. **D**ico 3º, inter causas hic est ordo dignitatis: 1º efficiens, quia præterquam quoddam Deo conveniat, cæterarum perfectionem continet, & non earum imperfectionem, quia non est pars, uti materialis & formalis; neque causat intentionaliter tantum, uti finalis: 2º, causa finalis cum formali & materiali sunt excedentia & excessiva; exceditur finis, eo quod non causat realiter, sed intentionaliter tantum, quod est ignobilius; excedit verò, quia non causat per modum partis, uti formalis & materialis; unde Deo convenit esse causam finalem, non autem esse partem materialem vel formalem: Adde tamen formalem esse dignitate priorem materiali, quia dat speciem & ultimam perfectionem; materia verò est imperfectissima.

VII. Probant varii hoc modo; quia causa materialis & formalis sunt partes intrinsecè essentielles compositi; ergo ad hoc, ut existat compositum realiter, requiritur earum existentia realis: Verum hæc probatio supponit falsum, videlicet causam materialem & formalem esse partes intrinsecè essentielles compositi, cum sint tantum extrinsecè essentielles, non secus ac fundamentum & terminus respectu relationis; imò sicuti potest dari relatio non existentibus fundamento & termino, ita potest dari compositum formaliter, non existentibus causâ materiali & formali realiter, sed intentionaliter & objective tantum, de quibus aliquid infra. Quare aliter

VIII. Probatur; quia materia realiter causat recipiendo, sustentando, &c. formam, sine influxu à se manante; sed totum quod causat realiter, debet realiter existere, vel per seipsum, vel saltem per influxum à se manantem; alioqui causæ, quæ nunquam extitissent, dici possent causare realiter, ut consideranti patebit, quod nullus admisit, ergo, &c. consequentia est legitima; minor patet, tum ex præmissis, tum ex dicendis infra.

IX. Confirmatur, tum hæc, tum sequens Resolutio: tam causa materialis, quam formalis causat mediante unione; sed unio non potest existere sine utroque extremo realiter existente, ergo, &c. probatur minor; quia unio est ultima determinatio ad uniendum duo extrema existentia; alioqui deberet per aliud determinari ad illa ut existentia unienda; de quo quæreretur, an esset ultima determinatio ad unienda duo extrema existentia, nec nō? si sic, idem dic de unione; si nō, dabitur processus in infinitum.

Addo

x. Adde alioqui fore, ut unio existat sine utroque extremo; quia non est potior ratio, cur sine uno potius, quam sine alio existat.

RESOLUTIO III.

xI. **D**ico 3^o, ad causandum formaliter requiritur existentia realis causae formalis. Ita omnes similiter.

xII. Probatur, quia forma realiter causat denominando, informando, &c. materiam sine influxu à se manante; sed totum, quod realiter causat, debet realiter existere, vel per seipsum, vel saltem per influxum à se manantem, ob rationem statim dictam, ergo, &c. consequentia est legitima, major probabitur infra.

RESOLUTIO IV.

xIII. **D**ico 4^o, ad causandum efficienter (de quo potissimum est difficultas) nequidem existentia realis Principii quod immediati in virtute requiritur, si Principium immediatum quo paulò ante extiterit. Huic Resolut. videntur favere Capreolus in 4^{um} Dist. 13. q. unicà art. 3^o. Sotus in 4^{um} Dist. 1^a. q. 2^a. art. 3^o. Fonseca 8. Metaph. cap. 1^o. q. 2^a. Sect. 5^a. ubi citat D. Thomam, A. lensem, Cajetanum: favent etiam Connimb. lib. 1^o. de generat. cap. 4^o. q. 18^a. art. 2^o. Item Cabrera 3^a. p. q. 26^a. art. 1^o. Disp. 3^a. num. 113. contra alios, sive Recentiores, sive Antiquiores. Sed

xIV. Ante probationem hujus Resolutionis, quam Suarez, alioqui doctissimus, Metaph. Disput. 14^a. num. 3^o. dicit esse improbabilem; & tomo 1^o. in 3^{am} partem ad quaestionem 13^{am} art. 4^o. Disput. 31^a. Sect. 7^a. esse contra communem consensum, non solum omnium Philosophorum, sed etiam omnium hominum (non viderat puto jam citatos) P. Hurtadus Physicæ Disp. 8^a. num. 68^o. ex ea sequi mortuos videre, quod ab omnibus est (inquit) irridendum: P. Arriaga Physicæ Disp. 7^a. numer. 44^o. ab Aristotele & omnibus contrarium defendi: P. Oviedus, hanc difficultatem sibi esse levissimam; quia manifestà experientià compertum est, rem non existentem non operari: P. Poncius Physicæ Disp. 10^a. num. 5^o. prorsus ridiculum esse, adscribere motum aliquem realem rei non existentis realiter, tamquam Principio quod immediato; P. Telles potius supponit contrariam esse certam, quam prober, & sic de aliis.

xV. Suppono 1^o, ex dicendis lib. 8^o. de motu projectorum, contra PP. Suarem, Hurtadum, Arriagam, Oviedum, Poncium, Telles, &c. non dari impulsu à motu projectorum realiter distinctum; quia, cum optimè intelligatur motum localem fieri sine impulsu, ut cum vestis ad motum hominis, & homo localiter moventur; multiplicarentur sine necessitate productio impulsus & impulsus, si in projectis impulsus esset realiter distinctus à motu locali eorum: quod autem homo moveatur localiter sine impulsu, pater; quia non minus est per se Principium sufficiens motus localis sine impulsu, & consequenter etiam suae vestis, quam ipsius impulsus; imò vestis moveri non potest per impulsu; quia alioqui immoto homine, adhuc deberet vestis, ratione impulsus impressi necessariò agere, moveri, quod est contra experientiam.

xVI. Suppono 2^o, ex dicendis Disp. ultimà de

duratione, possibilem esse creaturam ex essentia sua durantem uno mense v. g. ac proinde similiter durationem essentialiter dantem creaturæ durare uno mense, ita ut det prius durare instanti A. posterius, & hoc mediante tantum, instanti B. & sic consequenter: ita enim Arriaga Disp. 15^a. Physicæ Sect. 2^a. n. 64. Camerarius p. 2^a. q. 22^a. Rubius & plures antiquiores: Item D. Thomas 1^a. p. q. 46^a. Suarez, Vasquez, Valentia, Connimb. Hurtadus, Oviedus, & omnes, qui tenent possibilem esse creaturas ab æterno; illæ enim necessariò (etiam respectu Divinæ potentiae) deberent eternitate (saltem à parte ante) durare: nec id magis obstat perfectio Dei in creaturas dominio, quam quod Deus non posset impedire, quo minus creatura duraret uno instanti, ex hypothesi quod vellet eam creare; aut quam quod non posset hominem creare irrationalem, ex eadem hypothesi, quod vellet illum creare: nam dictum Dei dominium sufficienter salvatur in eo, quod illam creet, si velit; non creet, si nolitalud verò obstaculum, quod adfert P. Comptonus Phyl. Disp. 38. Sect. 3^a. nempe quod duratio illa deberet, utpote indivisibilis, singulis instantibus habere totam suam essentiam, quod repugnat: etiam non obstat; quia attendere debuisset durationem illam non aliter esse indivisibilem, quam sit tempus successive; sic nempe, ut, sicut Deo impossibile est tempus producere, quin successive, producat prius & posterius; ita Deo impossibile sit talem durationem producere, quin producat prius & tot posterius, unde obstaculum illud omnino nullum est. Hinc consequenter hic supponimus dari posse motum localem (cui ubi identificabimus infra) uno quadrante v. g. durantem, dantem suo mobili ex natura sua esse successive in centum, aut ducentis locis, ita ut prius det esse in loco A. posterius, & hoc mediante, in loco B. & sic consequenter; quia tamen videmus, & experientia docet, mobile projectum modò huc, modò illuc, modò viâ rectâ, modò cum reflexione versus suum projicientem propter consortium novi motoris, modò sine moveri; ulterius supponi debet motum localem esse quidem ex natura sua determinatum ad constituendum mobile in tali spatio, & non in alio; ex consortio tamen alterius motus localis simul idem mobile moventis, esse determinabilem ad constituendum mobile in alio spatio; sic ut illi duo motus conjuncti quidem ex natura sua etiam determinati ad constituendum mobile in hoc spatio, & non alio; sed ex consortio alterius iterum adjuncti motus localis simul idem mobile moventis, determinabiles ad constituendum mobile in altero spatio; neque ex his putandum sequi processum in infinitum in motibus, ut res constituatur in determinato loco; nam; si non accedat secundus motus, res constituetur in illo spatio, in quo rem constituere conveniet primo motui ex natura sua: dari autem res ex natura sua ad unum determinatas, & ex consortio alterius ad aliud determinabiles, est certo certius; nam calor, ex natura, sive ut causa partialis, sive ut totalis, determinatus ad producendum ignem, aut calorem, ex consortio aliorum agentium, determinabilis est ad producendum aurum, gemmas, viventia, &c. Hæc suppositis

xVII. Probatur Resolutio: in projectis, si intereat causa projiciens ante finem motus (quod fieri posse quotidiana docet experientia) causatur motus efficienter à non existente causa projiciente, etiam

in virtute sua ut principio quo immediato motus, ut patet; ergo ad causandum efficienter nequidem existentia realis principii quod in virtute requiritur, si paulò ante extiterit, uti extitisse patet.

xviii. Nec dicas 1^o. principium quo immediatum talis motus projectorum non esse projicientem in se, sed in impulsu virtute suâ; nam talis impulsus est fictitius, ut patet ex supposito secundo, quod latius infra probabitur.

xix. Nec dicas 2^o. quòd si ubi identificetur motioni, siue motui locali, futurum, ut actio existat sine principio & termino. Quia si non habeat terminum realiter distinctum, in eo nullum est absurdum; posse enim sine principio jam ostensum est; posse verò sine termino realiter à se distincto, patet, quia illum non habet; deinde supposita veritate sententiarum illorum, qui dicunt intellectionem, volitionem, &c. non habere terminum realiter à se distinctum, item quòd sint actiones permanentes, uti hic supponimus, intellectio est secundo instanti in anima sine causa efficiente, & sine termino realiter à se distincto; sine termino quidem, quia non habet, ut supponitur; sine causa efficiente verò, quia pro illo instanti anima non agit munus causæ efficientis, sed subjektivæ & materialis; si verò habeat effectum realiter à se distinctum, non potest existere sine effectu realiter à se distincto, quia est continua actualis positio effectus in esse, alioqui post primum instans esset indifferens ad ponendum effectum in esse, ac proinde per aliud determinari deberet ad ponendum post primum instans effectum in esse, de quo quærerem, an esset actualis positio effectus in esse, vel non? si primum, idem dicendum de actione; si secundum, daretur processus in infinitum.

xx. Nec infles non potest unio existere sine utroque extremo, ergo nec actio sine principio & effectu: Probabis consequentiam, quia est eorum unio: est enim disparitas, quòd unio sit utrique extremo intrinseca; actio verò principio suo extrinseca; deinde non est ratio, cur unio potius existeret sine uno, quàm sine alio extremo; unde si sine uno existere posset, posset sine utroque, quod in actione habente terminum realiter distinctum, n. 19. negavimus; denique unio est continua actualis determinatio ad uniendo duo extrema existentia; alioqui post primum instans esset indifferens, &c. proportionaliter, ut statim num. 19. deductum est.

xxi. Probatur 2^o. eadem esse conservatio effectus, præsentis, ac absente causâ; sed causa non aliter effectum conservat, quàm per conservationem, ergo causa, siue præsens, siue absens, ac per consequens, siue existens, siue non existens, modò paulò ante extiterit, eodem modo conservat effectum; unde ad conservandum, ac proinde ad causandum efficienter, nequidem existentia realis principii quo immediati in virtute requiritur: major pater in sententia Arriagæ, Ovidii & aliorum distinguendum realiter actionem à duratione, & admittendum actiones in esse permanentes: minor est certa, & consequentia legitima.

xxii. Probatur 3^o. principium immediatum, etiam virtuale aut instrumentale, potest agere, ubi non est; nam si ejus effectus extra illius sphaeram activitatis existat, conservatur ibi, etiam postquam desit esse ejus principium, &c. sed tunc principium quo immediatum non existens, etiam in virtute, agit eodem modo secundo instanti, ac primo, puta

R.R. Francisci Bone Spei Physica.

ta per eandem actionem permanentem, ergo, &c.

xxiii. Responder P. Ovidius loco citato, post Arriagam, dispariter esse rationem; quia id quod non existit in hoc loco, sed in alio, absolute existit & habet continentiam effectus, ut inquit Arriaga; illud verò, quod non existit in hoc tempore, etiam dicatur existere in alio, absolute non existit, imò, inquit P. Arriaga, modò tam nihil est, ac si nunquam extitisset; unde, modò non potest aliquid operari, non secus ac si nunquam extitisset. Sed

xxiv. Contra: ultro concedimus, quòd id, quod non existit in hoc loco, sed in alio, absolute existit; verum negamus illud magis habere continentiam effectus producti existentis successivè extra sphaeram suæ activitatis, quàm si desisset, & non esset amplius hoc tempore: imò ista responsio videtur omnino impertinens; quia, sicut actio per quam producit effectum, potest ab ipso separari quoad locum, ita & quoad tempus, maxime cum in primo esse duntaxat pendeat à causa existente, ne alioqui causa det esse, quod non habet; & non in secundo, quia terminum comitatur, est extra sphaeram activitatis causæ, & tamdiu manet, quamdiu manet terminus: sed difficultas est, quomodo in secundo instanti minùs pendeat à causa existente, quàm in primo? Resp. eandem esse difficultatem in primis, in hac contra præfatos Autores rerorsione, quomodo primo instanti debeat esse intra sphaeram activitatis causæ existentis, non item in secundo: Ratio igitur est, quia cum actio non habeat esse necessarium, sed contingens, debet à sua causa determinari ad primum esse, quæ cum determinare non possit ad esse, nisi habeat esse, & intra sphaeram suæ activitatis determinet; hinc fit, quòd primo instanti pendeat à causa existente, & esse debeat intra sphaeram activitatis suæ causæ: è contra verò, cum, quantum est ex se, habeat conservari necessarium, quia non petit sui destructionem; & sit sui ipsius conservatio, quia conservatio non conservatur per conservationem realiter distinctam; secundo instanti non pendet à causa existente, nec debet esse intra sphaeram activitatis suæ causæ existentis, magis quàm ceteræ formæ à sua causa primò efficiente existente pendeant, & intra ipsius existentis sphaeram activitatis secundo instanti esse debeant.

xxv. Confirmatur 1^o. Resoluta de causa productiva substantiæ philosophandum est, ut genitorum in utero, & ex ovis, genitum quoad substantiam, tantum, aut plus debeat genitori, quàm genitrici, siue patri, quàm matri; sed id haberi non potest, nisi dicatur genitorem non existentem agere per actionem suam generativam perseverantem, postquam desit, ut infra Disp. 6^a. Dub. 5^o. de productione substantiæ probabitur, ergo, &c.

xxvi. Confirmatur 2^o. sic de causa productiva substantiæ nobis loquendum est, ut causam conservantem in creatis relinquamus haud secus, quàm primò producentem præposuimus, ne alioqui, cum id fieri possit, si causam conservantem à creatis tollamus, & ad Deum pro substantiarum conservatione, ubi aliter fieri potest, confugiamus, consequenter primo producentem à creatis tollere debeamus, & ad Deum confugere, quod est valde absurdum, & parum naturale, ergo, &c.

xxvii. Objicies 1^o. Aristotelem hic ab Hurtado pro se citatum, quæ effectum, atque ea, quorum sunt

H

sunt

sunt causa, simul sunt, & non sunt, quasi diceret, existente effectu existit causa, & perente causa perit effectus, ergo, &c.

xxviii. Respondeo Aristotelem ibi loqui de causa & effectu formaliter sumptis, quæ, utpote correlativa, se mutuò ponunt & tollunt; non verò de causa & effectu materialiter sumptis: nam materialiter, neque cum existit Pater materialiter, existit Filius; neque cum perit Filius materialiter, perit Pater, ut consideranti patebit: deinde Aristoteles intelligi potest loqui de iis, quæ efficiunt ut quo, videlicet actionibus totalibus, quæ se mutuò cum effectibus ponunt & tollunt, ut vidimus; non verò de iis, quæ efficiunt ut immediatum principium quo, quia hæc perire possunt & effectus remanere, & contra illa existere, & hi perire.

xxix. Objicies 2º. ex P. Arriaga post Hurtadum: per te, si causa non existit prius, non potest nunc operari, ergo nec potest operari, etiam si prius extiterit: Probatur consequentia, quia, quod extiterit, non efficit ut modò habeat Physicè aliquid amplius, quàm si non extitisset, quod per se videtur manifestum: Addit P. Hurtadus, si res potest operari in aliquâ duratione reali, in qua non est, etiam poterit operari quolibet tempore subsequenti; cave igitur (inquit) ne te mordeat canis, aut discerpat (inquit Arriaga) leo mortuus ante mille annos: aut ut Pater Comptonus, ne pecces post mortem, & alioqui saluus, damneris.

xxx. Respondeo negando consequentiam ob disparitatem; nam si extiterit, potest actionem posuisse terminabilem ad diversos effectus pro diversis instantibus, vel ad eundem, pro conditione sua; ac proinde agere, non tantum pro eo instanti quo fuit, sed pro omni eo instanti, quo duratura est ipsius actio terminabilis diversis instantibus ad diversos effectus, vel ad eundem, secundum naturam suam, quod non potest, si non existit prius, ut patet: unde patet ad probationem consequentig.

xxxi. Ad id verò quod addit P. Hurtadus: quod si res possit operari in aliqua duratione reali, in qua non est; etiam poterit quolibet tempore subsequenti, distinguo, quo durabit ipsius actio, concedo; quo cessaverit ipsius actio, nego; unde, contra PP. Hurtadum & Arriagam, dico, non esse periculum, ne te mordeat canis, aut discerpat leo, mortuus ante mille annos; quia cum morsus & disceptio illa ante mortem non extiterit, & importet essentialiter actionem vitalem, quæ, cum ex una parte extitisse, & existere, debeat etiam de præfenti, in cane & leone vivente, tamquam causâ materiali, utpote vitalis; & ex alia causâ materialis ad causandum continuò materialiter, exigit existentiam continuam (ut vidimus supra) illud periculum non est, sed totum morsus & disceptationis periculum simul cum leone & cane perente perit; idem dic proportionaliter ad P. Comptonum pro peccato.

xxxii. Objicies 3º. ex eodem: nemo dat quod non habet; sed causa non existens nullum habet esse de facto, ergo de facto non poterit causare aliquid: Probatur consi. quia causare est dare esse effectui.

Confirmatur ex P. Hurtado, actio quæcumque actu existens est simpliciter actus secundus, ergo oritur ab actu primo simpliciter, id est, existente; Probatur consequentia, quia sine existentia nullus est actus, sive nihil est in actu simpliciter, sed in potentia tantum.

xxxiii. Respondeo distinguendo majorem, nemo dat quod non habet, si perseveret eadem ratio formalis, per quam dedit, nego majorem; si non perseveret, concedo majorem; perseverat autem hæc ratio formalis, per quam dedit existentiam effectui, videlicet ipsa actio, per quam effectum primò produxit: & revera, conservet Deus in oculo meo visionem parietis destructo pariete, nunquid adhuc dicar videre Physicè parietem, idque, quia parietem Physicè videri, est denominatio extrinseca, & perseverat ratio formalis Physicè eum videndi destructo pariete? ergo similiter, si conservetur motus lapidis me proficiente mortuo, adhuc dicar movere Physicè lapidem, idque ob eandem rationem, videlicet, quia Physicè movere lapidem, est denominatio extrinseca, & perseverat ratio formalis eum movendi Physicè.

xxxiv. Adde videri dicendum in sententia Arriagæ de propagatione specierum soni ad auditum, tandem mediâ specie audiri sonum non existentem.

Ad Confirmationem ex Hurtado,

xxxv. Respondeo admisso antecedente, distinguendo consequens; ergo oritur ab actu primo simpliciter, id est, existente in primo instanti, quo incipit esse actus secundus, concedo consequentiam; & ratio est, quia ut ostendi ante, debet determinari ab existente per aliquid existens: in omni instanti, quo perseverat actus secundus sine alio, nego consequentiam; quia, ut ostendi rejectione Responsionis P. Oviedi ad probationem eternitatis, cum actio permanens ex se, sive ex parte sua, habeat conservari necessarium, & sit sui ipsius conservatio, secundo instanti non pender à causa existente creata.

xxxvi. Inttabis, hæc solutio supponit falsum, videlicet dari actionem permanentem, cum tamen omnis actio, utpote identificata durationi, sit successiva, ergo, &c.

xxxvii. Respondeo negando antecedens; duratio enim non potest esse identificata actioni, magis quàm ego simul durare possim anno decimo, vigesimo & trigésimo, vel anno decimo & trigésimo simul, non durando anno vigesimo, quod inde sequeretur; quia non est, cur Deus non posset me simul hoc anno decimo conservare conservationibus, quibus me conservaret anno vigesimo & trigésimo; vel conservationibus, quibus me conservaret anno decimo & trigésimo: quod enim aliqui respondent actiones illas conservativas dicere respectus essentielles ad diversas partes temporis imaginarii, ita ut conservatio anno vigesimo non possit esse anno decimo, sed vigesimo tantum, admitti non potest; quia, præterquam quod dicere respectum essentialem ad tempus imaginarium, sit dicere respectum essentialem ad imaginationem, quâ etiam impossibili, adhuc daretur duratio, non est potior ratio, cur actio dicat talem respectum, & sit duratio, quàm res quælibet durans: quod verò alii Respondent illas dicere respectus essentielles ad partes temporis realis non magis admitti debet; quia, præterquam quod hoc sit illas dicere essentielles respectus ad se, quia tempus reale nihil aliud est, quàm duratio motus; tempus reale, vel potest per divinam potentiam totaliter cessare, vel totum poni duobus instantibus, nam non nisi dicit duo, prius scilicet & posterius; si verò sic totaliter cessaret, adhuc durarem, ut patet, & si totum duobus instantibus poneretur, duobus instan-

instantibus illis existerem anno decimo, vigesimo & trigésimo, imò & aliis omnibus, quidni anno decimo & trigésimo, non existendo anno vigésimo? ratio est, quia posito toto tempore reali in illis duobus instantibus, posset poni in illis duobus instantibus omnis conservatio dicens respectum essentialem ad tempus reale, sive continuum, sive interpolatum, ut patet: quid autem sit duratio, dicemus infra agentes de motu; hoc solum capere, quod actio, præsertim identificata rei permanenti, ut v.g. unioni, non sit essentialiter successiva, magis quam effectus ad quem terminatur.

xxxviii. Obijcies 4^o. ex P. Hurtado: causa non existens, simpliciter nihil est, ergo ab ea non potest actio prodire.

xxxix. Respondeo distinguendo consequens, ergo ab ea prodire non potest actio, si ante ab ipsa existente primò non prodierit; vel, non potest prodire per inceptionem, concedo consequentiam; & ratio est, quia ad existere debuit determinari per causam existentem: si ante ab ipsa existente primò prodierit, vel, non potest prodire per conservationem, nego consequentiam; quia ipsa manet percunte causa, ratio formalis prodeundi eadem, quæ erat ante; & sicut, dum ipsa incipit esse à causa, seipsa primò prodit; ita cum ipsa eadem perseverat in esse, adhuc rectè dicitur seipsa perseveranter à causa prodire: numquid enim effectus dicitur à causa prodire & pendere, quamdiu est ipsius ratio formalis prodeundi, & dependendi à causa, sicut paries dicitur visus, etsi non existat, quamdiu manet visio ipsius in oculo? procul dubio, quia ratione illius præcisè dicitur à causa prodire & pendere: ergo quidni idem dicitur de ipsa actione ratione formali prodeundi & dependendi, quamdiu manet & perseverat in esse.

xl. Obijcies 5^o. ex P. Christiano Lupo Ordinis S. Augustini in Apologia contra Marpurgenses cap. li. verè agere, est actionem verè à sua entitate emittere, &c. eamque habere à sua entitate verè dependentem, quod (inquit) est principium certissimum, & à nemine negandum; & qui negat, nescio (inquit) an Philosophus vocari queat: sed causa non existens non potest habere actionem, à sua entitate verè dependentem, ergo, &c.

xli. Respondeo distinguendo majorem, verè agere est actionem verè à sua entitate emittere, eamque habere à sua entitate dependentem, pro primo instanti, quo existit & esse incipit, concedo majorem; pro aliis instantibus, quibus in esse perseverat, nego majorem; ratio data est supra; non enim actio transiens in conservari magis pendet ab agente existente, quam anima rationalis à materia existente: sic patet ad censuram P. Lupi.

xlii. Colliges 1^o. ex dictis magnum esse discrimen inter causam finalem & efficientem; quia hæc semper causat, vel quia est, vel saltem quia fuit; finalis verò numquam, sed semper ut sit: 2^o. magnum etiam esse discrimen inter actum causans, & inter actum album; quia licet concretum actum ex forma & causa materiali, ut est album, dicat causam materiale existentem, ut patet ex resolutione secunda; non tamen concretum ex forma & termino extrinseco tamquam subiecto denominationis, ut est actus causans, quod patet in visione parietis non existentis, n. 39. supra: deinde hæc propositio, *causa non existens est actus causans*, simpliciter est falsa, quia ly *actus* appellat causam importatam in recto

concreti *causans*, de qua sicut falsum est, est actus dum non existit; ita & est actus *causans*, dum non existit; vera tamen est hoc sensu, *causa non existens est causans per actionem actu existentem*, ac proinde est principium quo immediatus effectus, non existens etiam in virtute; quod totum Resolutio non solum sine contradictione in terminis, sed quam probabilissimè, ferre potest.

D V B I V M II.

An, & quæ Prioritas requiratur ad Causandum.

ANte Resolutionem
xliiii. Suppono 1^o. Prioritatem esse triplicem, dignitatis, naturæ & temporis: Prioritas dignitatis est major dignitas in uno, quam in alio: Prioritas naturæ est secundum quam unum dicitur communicare esse alteri, ut prioritas causæ & effectus, sive principii communicantis esse, & rei cui communicatur: ubi reflecte, quod sicut ad prioritatem dignitatis non est necessarium, ut unum sit in aliquo instanti reali, vel rationis prius alio; ita nec ad prioritatem naturæ, sed sicut ad illam præcisè sufficit major dignitas unius, quam alterius; ita ad hanc præcisè sufficit unum esse causam rei, quæ communicatur, sive unum esse principium communicans esse rei, cui communicatur: Prioritas autem temporis est unum instans reale prius in uno, quam alio.

xliiii. Suppono 2^o. ex dictis Disput. 2^a. Dub. 1^o. prioritatem naturæ sive causalitatis, secundum Patres Græcos simpliciter & absolute reperiri in divinis, secundum Latinos minimè, nisi per posterioritatem naturæ & causalitatis, quæ ex ea sequitur, intelligas esse causatum sine dependentia involvente imperfectionem & limitationem, quæ, ut supra vidimus, excludi debet: quia nos Catholici nomen causæ & causalitatis ita accipere debemus, ut secundum Patres Græcos divinis Personis conveniat, & ut secundum Latinos illis non conveniat cum dependentia involvente imperfectionem & limitationem, sed sine, quomodo nomen causæ & causalitatis, ubique reipsa implicite in divinis agnoscunt, licet hoc nomine expresse non utantur; in re autem tanti momenti, ubi commode possumus Patres Græcos & Latinos conciliare, de nomine parum curandum est; extra hastamen Disputationes, nobis cum Latinis loquendum, ut Disp. 2. Dub. 1^o. monui.

xliiii. Nec refert quod Aristoteles in Postprædicamentis cap. i. dicat, *alia autem naturâ* (scilicet priora) *ea (inquam) omnia, quæ ejusmodi sunt, ut sine aliis esse possint, non item sine illis alia*. Quia priora naturâ sive causalitate, in specie & ad creatos effectus, hic definit Aristoteles, putans ex ignorantia fidei non esse alia; sed non in genere, & quæ comprehendunt terminata ad effectus increatos, de quibus nos hic: unde Aristotelis definitio non est satis latè patens, & proinde vitiosa; propter quod expresse deferitur ab omnibus Patribus Græcis, & implicite à Latinis, nec à nobis minus deferi debet, quam ipsius ignorantia fidei. Ex dictis

xliiii. Colliges 1^o. frustra ab omnibus communiter prioritatem dividi in prioritatem in quo, quam vocant (ait P. Ovidius) naturæ; & prioritatem à quo, quam dicunt originis; ita ut quod est origo, dicatur